

Rome août 1600.

1

1 / Veni ad te, Cardinalis amplissime, ut te Doctorem meum, discipulus salutarem. Serius quidem. Romae enim in sacro Iubilaeo celebrando iam octavo mense haereō. Sed tamen sera gratulatio reprehendi non solet: praesertim si iustas habeat procrastinationis causas. Verum, ut tandem est, optimis, ut spero, Iesu Christi auspiciis, mihi hodierno die apud te persolvendum est officium; quod et tua maxima in me beneficia, et in Ecclesiam Dei divina et eximia merita, iam pridem iure optimo sibi vendicarunt. Quod ego dum facio, a te, Cardinalis amplissime, maiorem in modum peto, ut me benigne attenteque
5
10 audire velis.

Multi doctrina et pietate excellentes viri, Cardinalis illustrissime, ut quondam ex equo Troiano Graecorum proceres fortissimi ad delendam Troiam, ita ad Ecclesiae Dei hostes profligandos, et Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae, sanctorumque omnium gloriam
15 illustrandam, ex tua disciplina et divina institutione prodierunt. Nam ut Regina ab Austro Hierosolymam ad audiendam Salomonis sapientiam, sic ex Italia, Hispania, Germania, Gallia, Polonia totoque fere christiano orbe selecta iuventus Romam venerat ad capessendam tuam divinam Theologiam: his temporibus, quibus Sathanas solutus nomen
20 Iesu Christi et sanctorum eius blasphemat, et innumeras Christianorum animas ad interitum sempiternum praecipitat, Ecclesiae Dei maxime fructuosam et salutarem. Verum et mihi quoque immensa quadam Dei bonitate concessum fuit, ex eorum esse numero quibus tuae divinae sapientiae fontes patuerunt. Illi inquam fontes, vel potius rapida
25 flumina, aut aestuantis maris rapidissimi fluctus, quibus tu, tanquam divinus Moyses, virga illa admirabili, currus Pharaonis aurigas totumque exercitum eius, hoc est Antichristi strenuos satellites, Arios, Sabellios, Photinos, Paulos Samosetanos, quos impietas hominum ab inferis revocavit, et nostri temporis Calvinum, Lutherum, Kemnici

/ um, Bezam, aliaque portentosa haereticorum monstra, eorumque pesti-
 lens et virulentum dogma, ex inferni faucibus promptum et maxime
 per nostras frigidas regiones sparsum et disseminatum, absorbuisti,
 oppressisti, extinxisti, funditus evertisti et delevisti. Haec sunt
 5 tua flumina: hi fluctus in sublime ad opprimendos Iesu Christi hos-
 tes erecti: hi sapientiae tuae fontes, quos tu nobis in ista urbe
 Romana, in celeberrimo illo Societatis Iesu lycaeo tuis institutis
 aperuisti, et ita aperuisti, ut eisdem tuis divinis praeceptis et
 institutis, eos omnes qui te diligentius audierant, abundare oportebat,
 10 propter singularem tuam industriam et docendi dexteritatem.

Quid igitur? annon aequum fuit, ut ego hoc tempore, ad sacrum Iu-
 bilaeum celebrandum Romam veniens, voce et gratulatione indicium
 aliquod et vestigium animi grati et beneficiorum memoris tibi notum
 testatumque facerem?

15 Equidem si id non fecissem turpes illas in Evangelio novem lepro-
 sorum notas, vix aliqua ratione vitare potuissem.

Quare imprimis immortalis Deo Christo Iesu pro maximis istis et
 divinis, quibus te abunde cumulavit beneficiis immensas ago grati-
 as. Deinde vero de ista tua felicitate, et tibi vehementer gratu-
 20 lor, et omnibus bonis gaudeo.

At vide, Cardinalis amplissime, quo ista mea tendat gratulatio.
 Tuum enim honorem quodam bonitatis divortio divido. Quid? annon ex
 tuo honore bipartitam gratulationem meam facio, eamque non solum
 laetitia tua, sed etiam gaudio bonorum definio? Ergo opes tuas in
 25 alios effundo, et purpura ista tua, ex roseo Apostolorum sanguine
 splendenti, alios exorno? Ergo fasces Apostolicis meritis laureatos
 et tuae dignitati divinitus attributos aliis praefero, et in subsel-
 lio illo tuo, Apostolica autoritate nitenti, alios colloco? Ergo
 tiaram istam rubeam, diadema Regium, Apostolorum insigne, coronam lapi-
 30 de pretioso, Christo nimirum insignitam, et maximis trophaeis divi-
 nissimisque triumphis crucis Christi decoratam, aliis impono, ser-

/ toque ex tuis victoriis contexto aliorum caput redimio? Ita profecto
 est. Verum id effecit tuae virtutis magnitudo, et divinitas quaedam
 tua. Sic enim existimare debes, Cardinalis amplissime, ex tua ista
 amplissima dignitate in proborum omnium studia non exiguum redundare
 5 fructum. Is demum enim est bonorum omnium iustus triumphus cum a &
 Summo Pastore, bene de Christi republica meritis illustre testimo-
 nium datur. Illud vero cuiusdam divinitatis est, sua maxima bona posse
 cum aliis communicare. Itaque quod maxime optandum est, illud
 praeterito anno in te, Cardinalis amplissime, Iesus Christus Ecclesi-
 10 ae suae bonisque omnibus donavit. Est autem optandum maxime, ut vir-
 tuti respondeat honor; labori, praemium; operi, merces; difficultati,
 solatium; vigiliis, quies. Marcet enim virtus sine honore, et labores
 ac vigiliis negatum praemium frangit, enervat ac debilitat. Atqui im-
 mensa Dei bonitas, quae Iesu Christi Ecclesiam rebus nunquam destitu-
 15 it necessariis, nequaquam tuam excellentem virtutem et industriam
 posthabuit. Non tuae virtuti honorem negavit; non labori praemium
 detraxit; non operam mercede fraudavit; non difficultatem solatio
 orbavit; non vigiliis quiete privavit. Imo vero tuos labores ac vi-
 giliis maximis praemiis exacuit; operam mercede erexit; difficultates
 20 et molestias solatio compensavit; sudores divina voluptate abstersit
 denique insignem tuam virtutem admirabili honore illustravit.

At quo honore. Primum eo, quo in universa Christi Ecclesia, se-
 cundum Summi Pontificis dignitatem nihil est maius, nihil augustius,
 nihil divinius. Cardinalatus enim honor in Ecclesia est amplissimus.
 25 Nempe in quo lucet ordinis Apostolici maiestas. Deinde eadem Dei bo-
 nitas et clementia eundem honoris et dignitatis gradum singulari et
 divino quodam ad te detulit modo. Non enim eundem honorem ambitio per
 fenestram ambitionis misit; non avaritia per rimam impietatis intru-
 sit; non fastus per tectum extremae dementiae proiecit; sed ostiarius
 30 , id est Spiritus sanctus per ianuam, quae Christus est, et eius Vica-
 rium Clementem VIII introduxit. Introduxit autem magnis stipatum vir-
 tutibus, et divinae sapientiae ornamentis circumfluentem.

4

Ille, ille ostiarius te Clementi VIII Pontifici Maximo tanquam summo Rectori, Pastori et Ecclesiae Capiti, ex quo coelestia unguenta defluunt et descendunt usque ad barbam Aaronis, haec est in piissimos et sapientissimos viros (ut enim crines sunt gloria capitis, ita scientia et doctrina est Ecclesiae decusa) demonstravit. Ille tuam insignem virtutem et pietatem commendavit. Ille tuos labores ac vigilias Ecclesiae Dei maxime utiles et necessarias eidem Pontifici ostendit. Ille ad tua argumenta in tuis voluminibus consignata, quibus ineptias et impudentiam Lutheri refutasti, Calvinii dolos et astutiam detexisti, Arianis siccam, maxima funestaque clade cruentatam extorsisti, et alias denique Luciferi phalanges rupisti, fregisti, contrivisti, dissipasti, digitum intendit, et eidem Summo Pontifici vim et eorum energiam patefecit. Ille, Ille, inquam, Spiritus Sanctus ostiarius sanctissimus in eiusdem Clementis VIII pectore magnum desiderium ad te ornandum et illustrandum excitavit, eidemque Beatissimo Patri animum iniecit, ut te, etiam invitum summis honoribus afficeret, te purpura indueret; tiaram istam rubeam, signum magni in Ecclesia Principis, capiti tuo imponeret. Denique eundem Clementem VIII Beatissimum et sapientissimum Patrem concitavit, ut tuam insignem sapientiam et virtutem in eminentiori isto candelabro collocaret, et quasi insigne sydus in firmamento Ecclesiae, inter alia nobilissima sydera constitueret: quo omnibus, qui sunt in Christi domo, tuae sapientiae lumen commodius porrigeres, et tuae virtutis et pietatis radios per universum christianum orbem latius spargeres et effunderes.

O admirabilem et divinam istam tuam felicitatem, quae tibi tanta dignitas obtigit et tam singulari modo.

Verum enimverò tantus tuus splendor et sanctissimi ostiarii in te maxima clementia à tuarum laudum principio statim nescio quo pacto me ad se rapuit et totam orationem meam invertit. Primo enim loco de initiis tuae vocationis mihi dicendum erat, tum demum progressus et tua summa felicitas explicanda. Contrarium feci. Primum progressum et

5 dignitatem tuam maximam in oratione posuim deinde vocationis initia his adiungere paro. Sed certe malo artificium orationis, quàm observantiam in me tuam desiderari. Sive opportune, sive importune non profecto tacebo de initiis tuae vocationis; non tam preciosam tuae coronae gemmam in tenebris collocabo; non decus dignitatis tuae maximum silentio involvam. Fortassis ex ipso error in ordine commissus corrigetur. Si enim initia ad tuae dignitatis maximum splendorem pertinent, consentaneum, profecto est ea cum tua summa felicitate copulare. Pertinent autem.

10 Quippe quae Davidis Israelitici populi Regis celeberrimi sunt persimilia. Tanti autem Regis? Hunc enim Deus Opt. Max. non solum prophetico spiritu ante alios omnes Prophetas extulit, sed etiam in generatione Iesu Christi Filii sui in D. Matthaei descripta Evangelio cum Abrahamo Patriarcharum Principe Deoque gratissimo primum collocavit.

15 Nimirum ut cum Abrahamo Patriarcharum Principe, Prophetarum et Regum omnium Princeps et generationis Iesu Christi Filii Dei, et eius sanctissimi Evangelii esset fundamentum et caput. Quid? quod in Evangelio ipsi Abrahamo illum anteposuit? Ita enim D. Matthaeus suum orditur Evangelium: Liber generationis Iesu Christi filii David filii Abraham

20 Non me latet D. Hieronymum eius ordinis aliam attulisse rationem; scilicet tum temporis non ad praestantiam Davidis, sed ad generationem Iesu Christi respexit. At si idem sanctissimus et maximus Doctor ad excellentiam Davidis oculos convertisset, aut Davidem eo loci sibi commendandum proposuisset, profecto maxima admiratione obstupefactus,

25 eundem generationis Iesu Christi ordinem tanta Davidis excellentia et divinitate consignasset. Apex enim et unum iota à summa Dei sapientia in Evangelio positum maximum pondus habet. Porro aditus rerum praestantissimarum ante alia auro et gemmis preciosis ornari et illustrari solent. Quod non solum in humanis, sed etiam in divinis observatum

30 videmus. Deo enim et Filio Dei nihil est praestantius. Itaque et Moses a Deo suam Genesim, et Matthaeus suum Evangelium à Filio Dei orsus est. Genesis enim initium tale est: In principio creavit Deus

6
1 coelum et terram; Evangelium vero Matthaei eiusmodi Liber generatio-
nis Iesu Christi Filii David. Ibi Deus; hic autem Iesus Christus in
aditu statim et limine ponitur, ut sacra maiestate et praestantia sa-
cros libros commendaret, eosque ut solent aureae columnae aditus re-
5 gios illustraret. Atqui in eodem ordine Iesum Christum Filium Dei sta-
tim sequitur David, ut res quaedam secundum Deum praestantissima, et
quasi columna preciosis lapidibus et gemmis, divinae et maximae illius
poenitentiae, qua singulis noctibus lachrymis stratum suum rigabat
admirabiliter micans et splendens, etiam ante Abrahami incensum illum
10 amorem singularemque in Deum pietatem, quae eum coegit ut in unicum
filium suum peracutum stringeret ~~ensem~~. Ergo cum David in generatione
Iesu Christi patrem omnium gentium Abrahamum antecedit, quid de eius
praestantia et pietate cogitare debeamus, facile quisque existimare
potest.

15 Ex hac autem tanta Davidis praestantia necessario concluditur,
tuae vocationis initia inter maximos tuae dignitatis honores numeran-
da esse; utpote quae cum tanti Regis et Prophetae singularis quaedam
similitudo copulavit.

20 Ne autem existimes, Cardinalis amplissime, me id tuis auribus
dare, aspice parumper ad Davidis Regis initia, quibus eum Deus in pa-
latium Regium introduxit, et sceptro in manus dato coronaque capiti
imposito in regali solio locavit. Magnum hoc profecto hoc fuit: Davi-
dem ex pastore confestim esse Regem; mutatio subita; distantia magna.
Ista enim plurimum distant: pastor humilis, rex sublimis; ovile ovium,
25 regale solium; vestis sordida, purpura candida; rustica actio, prophe-
tica unctio. Haec autem tanta et adeo mirabilis mutatio, annon voca-
tionem et imperium Davidis ornat et illustrat? Inter alia vero myste-
ria divina maximum ad laudes Davidis afferunt ornamentum. Nam Rex Da-
vid Christi Domini eiusque imperii et regni typum et figuram gerabat.
30 Ita sapientia divina in ista Davidis ex infimo ad supremum gradum mu-
tatione, suorum electorum expressit mutationem, qua ex stercore scele-
rum et impietatis erecti cum principibus populi sui primum gratiae,

/ deinde gloriae et maiestatis Regni illius sempiterni solio evehuntur.

Quare magna ista in Davide fuerunt et summa admiratione digna. Sed certe non minora fuerunt illa: cum Natham Propheta à Deo missus, Iesseo patre Davidis filios natu maiores illi offerente tanquam imperio digniores, non ad eos tamen quos Iesse praestantiores iudicavit, sed ad eum quem minimum abiectumque existimavit, Israelitici Regni detulit principatum. Nimirum diversa sunt Dei et hominum iudicia. Illi enim externa aspiciunt; at Deus intuetur cor. Illi corporis pulchritudinem et proceritate; at Deus animi puritate delectatur. Illi robur corporis et celsum animum mirantur; at Deus maxima humilitate suique abiectioe et contemptu tenetur. Illi iis plerumque quae sensus alligant, commoventur; at Deus virtutem et pietatem altis in pectore defixam radicibus omnibus aliis anteponit. Tale et Iessei patris de Davide iudicium fuit. Is enim, ut homines solent, filios procerioris staturae et cultioris vitae offerebat; Davidem vero natu et statura minimum et in caulis educatum spernebat et abiiciebat, nihil minus cogitans quam ei regium diadema convenire. At Deus contra, illos quos Iesse ut regio honore dignos iudicavit, sprexit; non sprexit illum, qui minimus in Iesse oculis fuit, sed dignissimum Israelitico Regno suo divino consilio decrevit, eiusque fundam et baculum gladio Saulis praeposuit, et toti Israeli ostendit armis fulgentibus ad expugnandum Goliath esse aptiorem? Magna dignitas Davidis; magna maiestas, ex ea vero contentione et disparitate iudiciorum multo maior et divinior. Adde quod regia dignitas in se spectata Davidi cum aliis regibus communis fuit, electio vero ad regnum rara fuit et singularis. Nam Deus Opt. Max. multis etiam indignis contulit Israelis regnum, qualis fuit Saul, Roboam, Ieroboam et impius Achab. Contulit et aliis non improbis regibus. At cum tanta divinae clementiae significationem contulit nemini: David enim elegit virum et regem secundum cor suum, utpote cuius et in perferendis adversis constantiam, in pascendo tuendoque grege diligentiam et fortitudinem habuit notam atque perspectam.

Simillima est profecto huic electioni Davidis tua, Roberte Cardinalis amplissim~~e~~, ad Cardinalatum vocatio. Quid enim? annon Societas Iesu, ut quondam Iessei familia in Iudaea nobilissima fuit, sic illa in Christianitate sapientiae et virtutum ornamentis, quibus ~~est~~ ^{est} quodam sydus Ecclesiam illustrat, inter praestantissimas religiones iam pridem locum sibi vindicavit?

Atque ut eo magis tua ista felicitas resplendeat, pone tibi ob oculos Clementem VIII Pont. Max. et Iesu Christi vicarium, ut Nathan Prophetam Iessei domum, ita illam Societatis Iesu familiam lustrantem, et ^{ita e} virum ad cardinalatum quaerentem. Qua in re dum tantus Pontifex diligenter occupatur, ~~est~~ ^{est} vestigio Societas Iesu Pontifici Maximo exhibet

tot praestantes pietate viros et maximarum altissimarumque artium disciplinae insigniter perpolitos; ex quibus alium commendat ab acumine ingenii et disserendi subtilitate, alium à varia et multiplici doctrina, alium à docendi facultate et ^{eloquentia} ~~peritate~~, omnes autem a pietate et religiosa ac singulari morum disciplina. At Clemens VIII Pont. Max. et Iesu Christi vicarius, praeter Societatis opinionem, te Roberte Cardinalis amplissime, aliis anteponit; te unum assumit ad honorem amplissimum, tuamque fundam et lapidem, ad expugnandum Goliath hostiumque Christi Ecclesiaeque Dei copias conterendas iudicat esse aptiorem. O admirabilem et vere divinam tuam istam, Cardinalis amplissime, vocationem in qua mirifice lucet et splendet et tuae virtutis praestantia et Dei Opt. Max. admirabilis providentia et bonitas, et Clementis VIII in gubernanda Christi ecclesia mira sapientia et apostolica virtus, et veteris Ecclesiae in tribuendis honoribus ^{libertas}, et primum a Iesu Christo, deinde ab Apostolis instituta et usurpata consuetudo.

Sed nondum Davidis electionem deseramus. Mira enim Dei sapientia et bonitas in ea cernitur et quaedam ratio aequitatis. Tametsi enim ~~est~~ ^{et veritas} universae viae Domini misericordia, tamen iustitia et pax sibi invicem occurrunt et sese mutuo exosculantur. Atque huius quidem Societatis et amicitiae, quae inter pacem et iustitiam intercedit, in Davidis vocatio-

/ ne imaginem expressit Dei sapientia: David enim ad aspectum vilis erat.
 Atqui revera omnis homo quantumvis sanctissimus, si illa Dei summa
 praemia spectes, est vilissimus, illisque minime dignus. Itaque ex ea
 5 litatis specie, humilitatem et maximas virtutes tegebat; mitissimus
 enim et habebatur et erat, ea ratione dignus eius Regis munere fuit,
 qui sibi legem imposuit, ut humiles extolleret, superbos vero depri-
 meret; qua ratione iustissimus Deus, Rex regum et Dominus dominantium
 non tantum gratis, verum etiam meritis quibusdam illectus bona sua
 10 hominibus tribuere videtur? Quid? annon et in tua Cardinalis amplis-
 sime vocatione non solum misericordia et veritas sibi invicem occurre-
 runt, sed etiam iustitia et pax suavissima oscula sibi praebuerunt?
 Etenim et in tuavocatione ea conspicimus quae maximis Davidis virtu-
 tibus sunt simillima. David enim mansuetus et humilis fuit. Ego vero
 15 cum animam meam ad illos tuos suavissimos mores, quibus doctrinam tu-
 am condire solebas, revoco, vel in te imaginem Davidis, vel in Davide
 tuas maximas virtutes humilitatis et mansuetudinis divinis et pulcher-
 rimis coloribus distinctas mihi videre videor. Nihil torvum in tuis
 oculis, nihil asperum in moribus, sermo lenis, vultus placidus; iis
 20 denique tua vita et actiones virtutibus floruerunt, quibus non minus
 quam sapientia et doctrina homines ad te alliciabas, te tuis auditori-
 bus exhibens et Doctorum sapientissimum et patrem amantissimum. Haec
 sunt humanis admirabiliora. Scientiis enim humanis scelus primi pa-
 rentis illam aspersit labem, cuius malum cum B. Paulus contagionem la-
 25 tius serpere vidisset, non dubitavit fasces superbiae scientiae legi-
 bus includere, atque ita de scientia definire: Scientia inflat, cha-
 ritas aedificat. O te felicem, Belarmine, Princeps Illustrissime. Tu
 enim charitate Iesu Christi inflammatus, Samsone fortior, cum humilli-
 moet mansuetissimo Davide in vastissima scientiarum silva, ursos dis-
 30 cerpsisti, tigres vicisti, leones superasti. Quid autem mirum si tam
 praeclara praeda onustus, de earundem bestiarum satellitibus, Calvino,

/ Zwinglio, Luthero aliisque eius generis monstris, Iesu Christo favente
 totaque christianitate spectante, nobilissimam victoriam retuleris. Ni-
 hil dicam amplius. In una enim tua charitate omnes illae virtutes in
 quibus sanctissimorum virorum enco^mia insunt, conspiciuntur: Abrahami
 5 fides, Isaaci obedientia, Iacobi pietas, Iobi patientia, Salpmonis Sa-
 pientia in et Davidis illa, qua non solum ursos et leones, sed etiam
 Goliatum prostravit fortitudo. Ut autem Davidis triumphus non obscuri
 fuerunt, ita non fuerunt et tui. Effusa enim illa Hierosolyma multitu-
 10 libris et voluminibus contra haereticos sapientissime conscriptis pru-
 dentes et candidi homines de maximis Ecclesiae Christi hostibus victo-
 rias; et cum in suis praeconiis cum aliorum doctissimorum virorum, tum
 sapientissimi et beatissimi Patris Clementis VIII grave testimonium
 tuis impartitum virtutibus, quasi quendam habeant ducem, minima Saulis
 15 invidiam pertimescunt.

Neque vero his tuis maximis gratulationibus obstat perditorum
 hominum improbitas. Viget enim et Calvinii et Lutheri pestilens dogma
 in multis Germaniae et Galliae partibus; penetrat et ad alias nationes
 Penetrat sane omnes perditos et improbos omnes, qui sua salute spreta
 20 obstinati ex ovili illo sanctae Ecclesiae in suam perniciem rapiun-
 tur. Non enim medicorum arti is detrahere potest, qui eorum opportuna
 et salutari medicina reiecta lethali morbo contabescit.

Quae cum ita sint, Cardinalis amplissime, constat profecto tuae
 vocationis initia cum tua summa dignitate consentire. Sed cum de simi-
 25 litudine utriusque non dubitetur, utri palma danda sit, in contentione
 praestantiae dubium relinquatur. Quo nihil de tuis virtutibus dici
 potest praestantius, nihil ~~divinius~~ *augustinus, nihil divinius.*

Gaude igitur Cardinalis amplissime tuo isto divino et maximo
 bono quod ut Deus Opt. Maximus *suae* coelestis gratiae maioribus in dies
 30 incrementis augeat, ii omnes optant, qui tua ista divina felicitate
 laetantur. Laetantur autem boni omnes, maxime vero isti, ad quos ex tua
 doctrina magna christianae divinaeque sapientiae emolumenta redundarunt. Dixi.